

rent, Iesum morti tradere determinant, quid inde tamen accidit? Ipsa mors nefarie Iesum illata ad propulsanda Romanorum arma, ipsa inquam mors Romanos traxit, & interfectioni tradidit ludæos, ac proinde, dum Iesu morte fugiunt mortem suam in miserissimam mortem incidunt. D. Augustinus tract. 49. in Ioannem: Temporalia perdere timuerunt, ait, & vitam aeternam non cogitauerunt, & sic utrumque amiserunt; iam & Romani post Domini passionem tulerunt eis, & locum, & gentem expugnando, transferendo.

Iniquitate Iudæi Romanos volumus euitare, & Romanos trahunt. August.

42. Genes. 37.

Fratribus suis dixit Ioseph: Audite somnium meum, quod vidi, putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi confurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum, Genes. 37. num. 7. Quo somnio facile fratres intellexerunt significari ipsos Iosephum adoratos, quod valde ægrè tulerunt, & inde multa excogitant mala, ut talem subiectionem, ac adorationem euitarent, in puerum amantur, ipsum Ismaelitis vendiderunt in Ægyptum, ut seruus factus, & tam longè ab eis distans maximè à regnandi potestate in eos distaret, sed quid inde factum est? ipsa crudelis fratris nundinatio eos ad illius pedes adorabundos traxit: & ipsa venditio, per quam voluerunt à dominio pueri fugere, extitit efficax medium, ut ad illius pedes promergerent. D. Basilius Seleucus orat. 8. Iosephi fratres, ait, usque ad sanguinem contra somnia pugantes, nundinatione somnia ad effectum perducunt.

Operans malum, ut malum fugiat, in illud incidit.

Basil. Sci.

43. Iob 18.

De impio ait Iob 18. num. 7. Ardebitur gressus virtutis eius; & precipitabit eum consilium suum. Immisit enim in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat. Tenebitur planta eius laqueo. Græcus legit: Erret consilium eius. Immittatur pes eius in laqueum, in rete inuoluatur, veniant super eum laquei. Solent venatores tendere laqueos fetis in suis effugiis, ac receptaculis, in quibus ipsa se solent recipere, ac tutari, ibi eis laqueos parant, ut capiantur. Sic Deus erga impios se habet, alitè permittit, ut eorum consilia, ac studia, quibus sibi effugium, tutamen, ac monumentum constituunt, illis vertantur in laqueos, ac retia, quibus capiuntur, ut in damnum inuitabile cadant, & ruant; precipitabit eum consilium suum. Nicetas in Cate-na Græca: Quemadmodum animalia, ait, que se in laqueos, retraxe induerunt, euadere non possunt, sic impij necessarii, è quibus eripere se nequeant, implentur erumnis, interim omni eorum consilio interuerso, atque in contrariam partem abreptio.

Impiorum consilia Deus vertit in eorum perniciem.

Nicetas.

QVÆSTIO IX.

Quare in hoc Concilio nullus est, qui pro Christo loquatur, ac Phariseorum impiæ resolutioni resistat?

44. Cassian.

ADERANT in hoc concilio multi magni viri, & forte aliqui rimentes Deum, ut Nicodemus, ut ait Simon Cassianus lib. 11. cap. 54. qui vocati deesse non poterant, & tamen cum profertur à Pontificibus iniqua mortis sententia contra Christum, nullus legitur, quod pro eo fuisset locutus, & si ex his, qui aderant, aliqui taceant, tamen maior pars eorum Pontificum, ac Phariseorum nefarium iudicium maximè approbat, applaudit, & extollit. O nefarium aulicorum ingenium, quod omnia ad Principis nutum, ac

placitum componit, loquetur princeps, vel affectum suæ voluntatis inducet, etiam si illius iudicium sit iniquum, damnabile, ac maximè aliis vituperandum, tamen cum sit principis sententia, adulationis auxilio omnium suffragio comprobatur, ac magnis laudibus firmatur.

Inuenit Moyses germinasse virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt, Numer. 17. num. 8. Virga illa, ut testatur D. Gregorius Nyssenus lib. de vita Moysis typum exprimebat Pontificiæ, ac supremæ dignitatis. Quid habet virga illa cum tanto dignitatis culmine? Moraliter rem explico: Virga illa antequam sacerdotalem dignitatem indicasset, dura, sicca, arida, nigra, ac indigna aspectu erat. At verò cum Pontificiam dignitatem denotat, gemmans virida consistit, floribus, foliis, ac fructu repletur, maximeque aspectui grata habetur. O quam bene depingitur hic id, quod frequenter accidit, antequam quis dignitate condecoretur, ut valde incompositus, niger, ac aridus contemnitur. At si dignitatis germen in eo oritur, statim ut pulcher floridus, ac magnis sapientiæ fructibus repletus applauditur, ac adulationis arbitrio magnis encomiis celebratur, cum aliàs sit homo truncus, rudis, & asper. Caiphas veluti quædam virga erat, sicca, aridus, omni virtute, bono opere, ac sapientia; & niger veluti carbonem inferni; at cum esset Pontifex anni illius adulationis transformatione, ut pulcher, elegans, ac floridus sententiis, ac verbis habebatur; & nullus erat, qui eius immanitatem ei auderet dicere.

45. Nam. 17.

Nyssen.

Homo in principatu ut floridus laudatur, qui antea rudis habebatur.

46.

Iudith 8.

Dux celebres mulieres, quæ pro libertate populi sui referuntur in Scriptura, Iudith & Esther. Iudith se obtulit ultro pro populi defensione, cap. 8. num. 31. petens à Presbyteris, ut pro ea orarent. Quod facere disposui, probate si ex Deo est, & orate, ut firmum facias Deus consilium meum. Stabitis vos ad portam nocte ista, & ego exeam cum Abra mea. At Esther audiens populi periculum, moras ponit, recusat, ac excusat se à suscipiendæ populi patrocinio. Tunc Mardocheus grauitè instans vrget eam. Ne putes, ait, quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis est, pre cæteris Iudæis: si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabitur Iudæi, & tu, & domus patris tui peribitis, cap. 4. num. 14. Quid est quod Iudith nullo stimule ipsa pro populi patrocinio, ac defensione se intro-mittit, multaque ad hoc presbyteros inducit; at verò Esther multis recusat, ita ut necesse sit compelli verbis Mardochei tanquam districto gladio ad guttur? Tu & domus patris tui peribitis, Iosephus lib. 11. Antiq. cap. 6. Ipsam cum sua familia daturam poenas ob ipsos. Cæteranus, Mina sunt, ait, diuini iudicij imminentiis, si tacuerit. Cur necesse est tantis constringi, ac compelli Esther? Expende latum discrimen inter has scæminas. Iudith habitabat in particulari domo, Esther verò in domo regis. Iudith, quæ erat in domo priuata procul ab ingenio Aulicorum libenter populi defensionem suscipit, ut pro illo contra principes stet, miraque perparretur. At Esther regina, & in domo regis versans non mirum, quod in populi patrocinium contra regis decretum non exeat, nisi imminenti diuini iudicij minis constricta, ac compulsa. Nam est, quæ in domo priuata erat velociter currebat ad populi defensionem; ad illam tamen ex palatinorum commercio, ac intuitu maximè retardabatur, quæ in regali palatio morabatur.

Ioseph. Caictan.

Aulicus maxime populi patrocinium refugit, ac timet.

Ioan. 11.

Ioan. 11. 49. Vnus ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam.

Nam 50. Nec cogitatis: quia expedit vobis, ut vnus moritur homo pro populo, & non tota gens pereat.

tablus, Euthymius: Expedire nobis. O nefarium, & sacrilegum consilium, vbi non de iustitia, nec de utilitate reipublicæ, sed de commodo astantium agitur, expedire nobis, ut vnus moriatur pro populo. Non exprimitur Iesum nomen: tum ne priuato odio in illum moueri videatur: tum etiam, quia nefarius iudex vetecundabatur dicere determinatè mortis sententiam aduersus Iesum, in quo nulla poterat inueniri culpa, & ideo in communi, ac veluti generaliter loquitur; ac si dicat; fatius est, ut vnus homo, etiam innocens moriatur, quam quod totus populus in discrimen ponatur, ut deleatur, ac exterminetur à Romanis. D. Chrysostomus homil. 64. in Ioannem: Quod illi dubitabant, & deliberandum proposuerant, hic impudenter, & aperta fronte, & temerarie decreuit.

Euthym.

Chrysost.

VERSIONES.

Pagnin. 49. Vnus autem quispiam Caiphas.

Arabicus. Cuius nomen Caiphas erat summus Sacerdotum anno illo. Dixit eis: Vos non scitis quicquam.

Syriacus. Erat summus Sacerdos anni illius, & dixit eis: Vos nihil scitis.

Vatabl. Euth. Nec perpenditis expedire num 50. nobis, ut vnus homo moriatur pro populo.

Arabicus. Nec cogitatis, quod melius est nobis, ut vnus homo moriatur.

D. Hieronymus Oportet vnum hominem cap. 7. Matt. mori pro omnibus.

Origenes. Et non vniuersa gens pereat.

QVÆSTIO X.

Quare Caiphas suos Consiliarios inscios, ac ignorantes appellat?

PRIMO respondet Theophylactus: Eos quidem reprehendit, ait, quod non intelligerent, quod oportebat, & ignari essent in despiciendo, quid ad rem conducatur; quod veluti perplexi, ac stupidi sint sine consilio, ut expedite prospiciant, ac determinent, quid in tali re esset faciendum.

49. Theophyl.

Secundò. Origenes in Catena, sic in presenti, ait: Si autem quis velit veridicum, & in hoc esse Caipham fatebitur etiam cuncta, quæ sunt in hoc loco prophetiam esse veridicam incipiendo ab illo: Vos nihil scitis: nihil enim nouerant, qui Iesum ignorabant. Dum Caiphas profert sententiam, Christi causam defendit, illiusque innocentiam ostendit; nam vnum è duobus necessarium est, aut hæc sententia est falsa, aut vera: si falsa est, sententia Pontificis suffragio fallitur, & tanquam à malo spiritu stimulata, Christum non deueniunt, sed honestat: si verò Caipha pronuntiatum est verum, etiam eius veritas ab illis veribus incipit: Vos nescitis quicquam. Ut loquitur citatus Origenes: Prophetiam esse veridicam, incipiendo ab illo: vos nihil scitis. Sententia autem prolata à iudicibus ignorantibus, ac insipientibus Christo Domino ignominiosa non est, sed ipsismet consiliariis diiudicantibus sine cognitione, ac intelligentia causam damnationis mortis. Et quamuis Christus Dominus concupierit opprobriis, ac cruciatibus saturari, hanc tamen contumeliam non tulit, ut à sapientibus, ac prudentibus consiliariis damnaretur, & alto diuini Spiritus instinctu prophetia fulminatur in iudices, dum iudicant, vos autem nescitis quicquam.

50. Origen.

Sententia ab ignorantibus prolata non deueniunt, qui damnantur.

Tertiò. Ad eadem Origenis verba: Fatebitur etiam cuncta, quæ sunt in hoc loco prophetiam esse veridicam, incipiendo ab illo: Vos nihil scitis. Aderant in Senatu grauissimi viri, Pontifices, Principes Sacerdotum, sapientiores Pharisei, multa religionis obseruatione præditi. Et tamen Caiphas districtè, ac apertè, vos nescitis quicquam, eos nescios, ignorantes, ac stupidos appellat; & cur viri tam grauissimi, ac proceres gentis Hebrææ publice tam iniuriose tractantur; Prophetiæ loquitur Caiphas, ut ait Euangelista: prophetauit. Quæ prophetia, ut testatur Origenes, incipit ab

51. Origenes.

MMm 2 illis

EXPOSITIO III.

47. Vnum pra superbia se existimabat.

Hugo.

Pagnin.

Exod. 28.

Ioseph. Chrysost. Cyrill.

Auaritia omnia perturbat.

48. Syriacus. Vatabl.

VM astantes in Conciliabulo disceptarent. Quid agendum esset, sententiam fert, ac pronuntiat Pontifex. Vnus ex ipsis. Vnus dicitur, & annotatur superbissimus Pontifex, se vnum primum, ac singularem, sapientiam, ac eruditione existimabat. Vel ut ait Hugo, dicitur vnus, quia inuerecundior erat reliquis, & in malitia singularis. Caiphas nomine. Pagninus, Caiphas, Hebraicè idem est, ac uomens ore: impiam, & crudelem sententiam euomit contra Christum. Cum esset Pontifex anni illius. Ex lege Exod. 28. Pontificatus erat perpetuus, & durare debebat usque ad mortem Pontificis, ac post eam in filium primogenitum iure hæreditario deriuabatur. Id tamen tempore Romanorum auaritia, & ambitione negotiante mutatum est, pro præsidio arbitrio dabatur in singulos annos modò huic, modò illi: ut tradit Ioseph. lib. 18. Antiquitatum cap. 13. D. Chrysostomus homil. 64. in Ioannem, D. Cyrillus Alexandrinus lib. 8. in Ioannem, cap. 2. qui ait; Eo tempore lex illa Domino non obseruabatur apud Iudæos propter ambitionem Iudæorum, erat itaque ea tempestate Pontificatus dumtaxat annuus. Auaritia enim pro maiori suo lueto omnia turbat, vniuersa iura inuertit, Dei leges abrogat, diuinæque dignitates interrumpit. Dixit eis. Addit D. Chrysostomus: Cum esset cæteris impudencior.

Vos nescitis quicquam. Syriacus: Nihil scitis, quod scilicet expeditis, & vile sit vobis. Nec cogitatis. Non aduertitis, nec perpenditis. Vatabl. Syluicia in Euang. Tom. IV.

illis verbis : Vos nescitis quicquam. Ac proinde ore prophetico dixit Caiphaz, expedit ut unus homo moriatur pro populo. Eodem etiam spiritu prophetico dixit : Vos nescitis quicquam, nec cogitatis. Nam cum illi astantes essent primi dignitate, principatu, ac loco, prophetice de eis dicitur nescire quicquam. Prophetia sane est, nam frequenter stultus felicitate gaudens ad praefecturam, ad altam sedem, ac nobilem dignitatem euehitur, ac eligitur. Consiliarij erant primi, ac sapientiores nomine tantum, ac felicitate, cum tamen re essent insipientes, ac nescij, & ideo dicitur : Vos nescitis quicquam, nec cogitatis.

Nescius felicitate praetitionis gaudet.

52. Cyrill. Ex dignitate lingua solutior ad contumeliam.

Rupert.

53. Exod. 11.

Exod. 3.

Chald.

Superbus Pharaon magnos viros cum ignominia vocat.

Oleaster.

54. 4. Reg. 18.

Abulen.

Superbus omnes deueniat, nec nomine honorat.

Cyrril.

Quartò. D. Cyrrillus Alexandrinus lib. 2. cap. 2. *Ceteris impudentius, & cum stomacho dixit, quasi insciam, & segnitiam increpans.* Erat Caiphaz Pontifex superior alii loco, & dignitate, & inde lingua solutior videbatur, ac si ipsa praefectura licentiam loquendi permitteret, & aliorum contemptum generaret. Superbus nemine magnum, omnes paruos iudicat. Vt loquitur Rupert. lib. 8. de victoria Verbi, cap. 10.

Fuit Moyses vir magnus in terra Aegypti coram seruis Pharaonis, & omni populo, Exod. 11. num. 3. Et tamen cum vir tam praclarus esset valde ignominiose cum eo agebat Pharaon; dicebatque: *Quare Moyses: & Aaron sollicitaris populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra?* Exod. 5. num. 4. Chaldaus vertit: *Ite ad seruitutem vestram.* Si ergo Moyses vir valde magnus erat, plenus scientia Aegyptiorum, vt de eo ait Stephanus in Actis; cur sic eum vilipendit Pharaon, ac si ipse esset feruus quidam Aethyopus captiuus? *Ite ad seruitutem vestram.* Maxime ponderandam, quod Moyses dicitur *vir magnus in terra Aegypti coram seruis Pharaonis, & omni populo.* Non dicitur Magnus apud regem, & quamuis Moyses tantis immineret, nullam tamen magnam dotem in eo agnoscebat Pharaon, sed praeterbia sua viros praclarissimos, & valde contemptibiles, ac tanquam feruos iudicabat. Oleaster ad citatum cap. 21. *Aduerte, ait, Moysen magnum describi apud Aulicos, & populum, non tamen apud regem, quia reges neminem magnum arbitrantur, nisi se ipsos.*

Loquimini Ezechie: *Hec dicit rex magnus, rex Assyriorum, 4. Regum 18. num. 19.* vbi Rablaces magister militum regem suum Sennacheribum regem magnum appellat, per excellentiam, vt ait Abulen. Ezechiam verò sine honoris praefatione, tanquam vilem, ac vulgarem hominem dicit, cur saltem pro decore regiae dignitatis aliquo titulo principis, vel regis, non honorat, cum suum Assyrium magnum regem appelleret? vanus homo loquitur iuxta Sennacherim affectum, qui solum se magnum, ac regem iudicabat, ita vt omnes alios etiam reges contemneret, & nullum praeter se ipsum regem honore dignum iudicaret, inde alios etiam magnos, & principes volebat pessundare, ac conculcare. D. Cyrrillus Alexandrinus ad cap. 36. Isai. Ad haec verba: *Dicite Ezechie, sic ait sanctus Doctor: Simpliciter appellatione Ezechiam nominat, non addito regis vocabulo, nec alia re quapiam viros ea dignitate praeditis conuenientissima: At regem Assyriorum vocat; nec simpliciter hoc ipso contentus nomine, sed etiam magnum appellat.* * * *

QUESTIO XI.

Expenditur quam deprauatum fuerit consilium Caiphaz?

OSTER D. Cyrrillus Alexandrinus lib. 5. in Isaiam, sic ait: *Inuenimus in Collegijs eorum terribilium illos cepisse concilium; nam dixerunt, quid facimus? Quia hic homo multa signa facit, vnus autem ex illis Caiphaz erat hic impietatis contra Christum inuentor.* Non solum Caiphaz dicitur impius, sed etiam impietatis inuentor. Saepe Iudaei voluerunt Iesum interficere, ac lapidare, haec apud eos alta erat reposita cogitatio, cur ergo Caiphaz dicitur impietatis inuentor contra Christum? Caiphaz hic non solum Iesu interfectionem decernit, sed etiam illam artificiosam rationem addit de vtilitate communi; inde merito impietatis inuentor dicitur, cum super malitiam Iudaeorum aliam denuò inuenit malitiam. Impudica Aegyptiaca ad nefarium opus sollicitabat Ioseph. Cumque ille resisteret, ac fugeretur à manibus eius, clamat ipsa ad viros domus suae; dicens: *En introduxit virum Hebraeum, vt illuderet nobis? Ingressus est ad me, vt coiret mecum, cumq; ego clamassem, reliquit pallium, &c.* Genes. 39. num. 14. Ex quo merito Oleaster ait: *Mirabilis malitia artifex est mulier, quae vim intulit, & iniuria fuit, & conuerteretur. Dicitur, malitiae artifex, cum super suam malitiam, notam malitiam addat, clamando contra Ioseph.*

55. Cyrril.

Valde impium, qui supra malitiam noua addit.

Genes. 39.

Oleaster.

56.

Qui dignitatem muneribus occupat, non bono communi, sed suo consulis.

57.

Exod. 23.

Innocentem non licet occidere.

Victoria, Molina, Suarez, Turrianus, Tolet.

Caiphaz impietatis inuentor multa maligna, & mala in hoc suo concilio dicit, ac prononij. Primò, ait Consiliariis: *Expedi vobis*, obiecto eorum commodo, ac lucro eos in suam sententiam producere vult, eisq; suam malitiam persuadere. Secundò, vt multi legunt: *Expedi vobis.* Cum enim ipse muneribus datis, ac pecunia exhibita ad gradum Pontificatus ascenderat, ad nihil aliud habebat mentem defixam, nisi ad proprium lucrum, & commodum, qui enim muneribus occupat locum, solum ad munera intentus est. Tertio: *Vt vnus moriatur pro populo,* non proponit, vt discutiantur rationes, ac causae negotium examinetur, sed absoluto decreto ait: *Vt vnus moriatur pro populo,* non ratione, sed potentia, rem absolui, ac definiti volebat. Quartò. *Vt vnus moriatur,* de aliena morte, ac sanguine volebat nitere, ac resplendescere, suamque celsitudinem firmare.

Quintò. Errat Caiphaz iuxta sensum, quem ipse intelligebat, & concipiebat; non enim licet, nec expedit innocentem occidere, pro temporali reipublicae salute, ac conseruatione, Exod. 23. num. 7. dicitur: *Iustum, & innocentem non occides.* Nam occidere innocentem est intrinsecè malum. Vita enim non cadit sub hominum dominio; vnde nullus potest illa priuari, nisi propter propriam culpam. Vt docent Victoria de bello, n. 43. Molin. disput. 120. Suarez de Bello, tom. de fide, disput. 13. sect. 7. num. 15. Turrianus disput. 92. dub. 3. Deinde etiam notat Toletus hic annot. 17. Inuitiam hos Iudaeos commisisse, non solum quia innocentem morti tradere decreuerunt; sed etiam, quia pro re illis tunc incerta, mortem certo infligere statuerunt; quamuis enim res certa esset, non licebat, nec expediebat, multo minus in causa incerta

incerta, qualis ea tunc erat, *Venient Romani, & tollent locum nostrum, & Gentem.* Et ideo grauissime peccauit Caiphaz, cum omnibus consentientibus ei in tali sententia.

58. Reus inauditus non est damnandus.

Actor. 5. Glossa.

Caietan. Chrysol. Marc. 5.

59.

Psal. 10. Chrysol. Theodor. Euthym. Hieron. Cassiodor. D. Thom. Lyan. Ludolph. Valentia. Lorin.

Iudex interroget, & in defensum non damnet reu.

Sextò. Non discutitur causa, nec reus aduocatur, nec locus defensionis datur, sed inaudita parte, vt dicitur, res determinatur, & capitalis sententia fertur. De fraudata parte pretij agri posuit Ananias ad pedes Apostolorum, qui statim voce Petri punitus est morte. Post spatium verò tertium horarum vxor ipsius Sapphira nesciens quod factum fuerat, introiuit, & salutato Petro, qui ait ei: *Dic mihi mulier, si tanti agrum vendidisti,* Actor. 5. num. 8. Petrus, vt aduertit Glossa ex reuelatione Spiritus sancti, optime sciebat diminutum pretium, & ideo, vt ait Caietan. dixit: *Quid vtiq; conuenit vobis tentare spiritum Domini? Huc aduoco id, quod alibi dixit Chrysolomus ferm. 17. cum interrogat à Demone: Quod tibi nomen est? Marc. 5. num. 9. sic ait S. Pater: Interrogat, non ignorat, sed implet iudicem, seruat ordinem cognitoris.* Petrus optime totam rem agnouerat, tamen cum esset Ecclesiae Praeful interrogat, vt doceat, quod iudex nulla occasione praeteritum iudicandi ordinem praetermittat, sed seruet iudicis munus, ac formam, dum crimen inuestigat, & discutit, & reum interrogat, vt ex fuisset dictis conuincatur, vt delicto planè examinatio poena iuste infligenda liqueat.

Ait Regius Vates, Psal. 10. num. 5. *Oculi eius in pauperem respiciunt.* Chrysolomus Theodoretus legunt, *in orbem terra;* pergit Regius Vates: *Et palpebra eius interrogant filios hominum.* Per filios hominum Theodoretus, Euthym. Hieron. Cassiodor. D. Thom. Lyan Ludolphus, Valentia; intelligunt homines bonos, & malos. Sed ad quid non solum dicitur, quod oculi respiciunt, sed etiam quod palpebrae interrogant? Rectè Lorin. *Importat hoc magnam attentionem, vt scilicet nos limis, ac semelansis oculis, fixisque immotè palpebris quidpiam attentius intueri. Est enim palpebrae frequens, ac velox naturalis motus. Deus infinite, ac comprehensiuè omnia sciens, & vniuersa vnico, ac simplicissimo intuitu penetrat, ad quid hic describitur cum tanta inquisitione, ac circumspectione cuncta interrogans, & examinans, *Oculi respiciunt in orbem terra;* in totum hunc, & vniuersum orbem; & palpebrae eius interrogant filios hominum? Ipse Diuinus intuitus multa attentione interrogat, ac discutit hominum causas. Ad quid tendit tanta Dei inuestigatio? Proponitur Deus in praesenti vt iudex causam discutens, & examinans, vt poenas inferat, vt dicitur statim num. 7. *Pluet super peccatores laqueos ignis, & sulphur, &c.* Deus ergo se accommodat ad ritum boni iudicis humani, vt humanos iudices erudiat. Quamuis Deus omnia sciat, & hominem sceleratum videat, tamen circumspectè omnia intuetur, reum exactè, ac attentè interrogat, vt homo respondens an expurgate se valeat, nec causa non examinata hominem indefensum damnare videatur. Vide supra cap. 28. num. 25. 26. 27.*

Ioan. 1. n. 51. Hoc autem à semetipso non dixit: sed cum esset Pontifex anni illius prophetauit, quod Iesus moriturus erat pro Gente.

Num. 15. Et non tantum pro Gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.

VERSIONES.

Syriacus n. 51. Hoc autem ex propria voluntate non dixit: sed quia erat Summus Sacerdos anni illius, vaticinatus est fore, vt Iesus pro Gente moreretur.

Arabicus. Quia erat Summus Sacerdotum illo anno prophetauit, quod Iesus erat futurus, vt moreretur.

D. August. Quia oportebat eum mori pro populo, & Gente. Vt Iesus moreretur pro natione.

Euthym. Vt Iesus moreretur pro natione. Syriac. n. 52. Nec tantum pro illa Gente, sed etiam vt Filios Dei, qui dispersi sunt, congregaret vna.

Arias. Sed etiam vt natos Dei dispersos cogeret in vnum.

EXPOSITIO IV.



OC autem à semetipso non dixit. Superiorem sententiam, *Expedi vobis, vt vnus homo moriatur pro populo,* Caiphaz à semetipso, hoc est, proprio spiritu, seu instinctu suo non dixit, prout continebant veram sententiam; prout verò falsum, & impium sensum habebant ex odio, & ira à semetipso dixit aduersus Christum, *Cum esset Pontifex anni illius.* Hoc frequenter hic aduertit Euangelista, vt denotare dignitatem illam breui desitutam, quae iam ex hominum ambitione non erat perpetua; *Prophetauit.* Hoc est, Spiritus sanctus, sic regit verba, linguamque eius, vt veram protulerit prophetiam futurorum praenuntiam. Theophylact. *Fecit, ait, vt à mala mente procederent verba, mirabilem habentia prophetiam.* Quia tamen Caiphaz verborum mysterium non intelligebat, proprie propheta non fuit, vt notant Origenes, D. Thomas, qui ait hic in Ioan. 11. *Non magis Caiphaz potest dici propheta, quam asina Balaam,* de quo latius ipse 2. 2. q. 173. n. 4. Ad prophetiam enim necessaria est intelligentia aliqua, ac proinde quamuis Caiphaz prophetauerit, non tamen propheta censendus est.

Quod Iesus erat moriturus pro Gente. Exponit Euangelista, quid Spiritus sanctus prophetauerit, ac intenderit in verbis Caiphaz: *Quod Iesus moriturus erat pro Gente.* Nempe Iudaeica, vt interpretantur D. August. Beda, D. Thomas, D. Bonau. Sed etiam vt Filios Dei; Gentiles nempe intelligit, Dei decreto electos, ac praedestinos in filios Dei, vt exponunt N. D. Cyrril. D. Chrysol. Euthym. Theophyl. & alij, qui tunc variis erroribus detenti dispersi erant inter Gentium nationes: *Congregaret in vnum;* scilicet ouile, ac Ecclesiam, M M M 3

60.

Theophyl.

Origenes, D. Thom.

61.

August. Beda. D. Thom. Bouaent. Cyrril. Chrysol. Euthym. Theophyl. Ioan. 10.